

usus erat, cum controversia incidisset de rebus sacris, aut publicis, aut de possessione. Nam post solemnitates à partibus adhibitas, Prætor certas verborum formulas pronuntiabat, constituens & jus reddens uti res requirebat. Quod quidem impossibile est hodie in usum reducere, partim quia non nisi exiguæ nobis conjecturæ restant ejus quo ipsi utebantur modi, partim quia formulæ ipsorum, quæ Latinæ erant, in nostro sermone locum habere nequeunt. Idem de actionibus dicimus, quæ formulæ erant procedendi in controversiis privatis de proprietate & obligatione, fitæ in certis vocabulis & syllabis, ita strictè observandis, ut qui una lapsus esset, totam rem perderet. Hinc est distinctio illa, quod quædam *in personam* erant, quædam *in rem*: In istis enim persona reorum expresse nominabatur, secus in his, in quibus simpliciter in rem oratio dirigebatur. Præterea ante litigandum ad tabulam magistratus eundum erat, quam vocabant Album Prætoris, quo omnes actionum formulæ erant redactæ, quas neque mutare, neque innovare licebat, non magis quam

K 5

magi